Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1503
Quelle:
Copyright:

Spaccio de la Bestia, *nisi ejus exemplaria undique fortasse collecta cum auctore capitis damnato, ignique tradito conflagrarint. Siquidem periit ille pari cum aliis multis ejus aetatis eruditissimis Italorum infortunio, qui cum exteris sacrae auctoritatis hostibus clam coiverunt, quique philosophiam cum religione componere minime sategerunt, studiaque sua magis ad evertendam sacerdotum dominationem, quam ad fructum literarum, nempe ad tranquillitatem sibi procreandam non minus impie, quam stulte detorserunt, inermes ausi quod armati perhorrescunt. Alterius libri:* De tribus Impostoribus *tantum titulum turbandis animis prodiisse arbitror, cum neque in illum, neque in testem illius aliquem oculatum unquam inciderim.*

Commentetur Lector, ut volet, in hanc *Epistolam;* ego id solum noto, *perexiguo* illo *sed multi ponderis libello* vernacule scripto innui fortasse ab *Gravina* Opusculum *Bruni*, cujus Titulus: *Cabala del Cavallo Pegaseo. Con l'aggiunta dell' Asino Cillenico. Descritta dal Nolano: dedicata al Vescouo di Casamarciano. Parigi, appresso Antonio Baio, Anno* 1585. 8. minimae enim molis est inter vernacula *Bruni*, totum non nisi *pagg.* 94. constans. Dedi ex Exemplo mihi adjacente Titulum adcurate; nam defuit is in *Valleriano*, cujus cetera διαγνωσιν habes in ejus *Biblioth. Catalogo* T. II. p. 740. ut adeo jam queri non possint *Niceronus* et *Clemens supracc.* Philosophatur et nugatur in III. his *Dialogis* more suo de Asino *Brunus Apulejo* et *Luciano* non infelicius, neque religiosius posteriore. In Epistola dedic. ad sic dictum *Sapatinum* Episcopum *Pii* V. meminit, *a cui consecrai l' Archa di Noe*, quod Scriptum procul dubio satyricum apud neminem video, qui Libellorum *Bruni* numerum inivere, quos inter praecipuus *Mazzuchellius*. Ceterum *Gravina*, a quo digressi sumus, Nostrum etiam in Opusculo *de Conversione Doctrinarum* edit. *suprac.* p. 367. in choro Philosophorum ita inducit: *Prodiit Nola Jordanus Brunus, Florentia Galilaeus, e Britannia Verulamius, e Dania Copernicus, e Gallia Gassendus, ac denique Cartesius. Copernicum Borussopolonum* norunt lippi et tonsores. Itaque *Tych. Brahaeum* fortasse cogitabat Noster oscitantia digna, quam in *Philodemo* castigaret *Sectanus*.

II. miro consilio subnectuntur Epistolae Prooemiales et Argumenta trium *Bruni* Libellorum διαλογικων, videlicet *della Cena delle Ceneri* s. l. 1584. 8. *del Trattato della Causa, Principio, et Vno, Venet.* 1584. 8. et *del Trattato dell' Infinito Vniuerso et Mondi, Venet.* 1584. 8. descriptae ab Exemplis impressis et dicatis *Michaeli di Castelnouo* (Castelnau) *D. di Mauuissier* Gallico ad *Elisabetham* Anglam Legato, cujus Viri habemus *Memorias*.

III. demum adscripti sunt *Versiculi* lat. et ital. quos praedictis Libel-